Λόγῳ Λογία,

SEV,

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE

Insipientiâ *rationis humanæ*, gratiâ Christi destitutæ, in rebus Fidei.

Authore R. Crosse *S.Th. B.* Coll. Linc. quondam Socio.

OXONIÆ:
Excudebat *H.Hall* Academiæ Typographus.
Impensis Th: Robinson. 1655.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

EDITOR LECTORI.

NActus (*Erudite Lector*) dextro (quod aiunt) Hercule) exercitationem quam præ manibus habes *Theologicam*, adductúsque non levibus de causis, ut credam illam ipsam esse, quæ *Oxoniæ* quindecim retrò annis, aut eo circiter, publice recitata est, non sine justo eruditæ caveæ applausu; non potui committere quin te qui *Musas* & bonam mentem amas, aureoli adeò opusculi arbitrum atque consortem facerem; eo autem consilio in lucem protraxi, partim ut innotescat tibi quales & olim liberos genuerit *Academia* nostra, partim ne nescius sis pòposi opers de *Redemptione redemptâ* Auctor novaturiens minùs commodum se (ne quid gravius dicam) gessisse interpretem sententiæ Apostolicæ, quâ de examussim Auctor noster disseruit. Præsertim verò, ut paululum hinc sufflaminarentur ingenia, juventutis saltem *Academicæ*, si qua extiterint paulò inclinatiora in *Fausti Socini*, aut *Jacobi Arminii* splendida illa

quidem, at multoties victa ac triumphata dogmata. Est tamen (fateor) in quo plurimum peccâsse videar, nempe quod inconsulto, ac inscio autore exercitationem hanc publici juris fecerim, humanitatis nihilominus officium haud postremum videbatur esse, partum hunc servâsse, quem parens ipse (ut accepi) îsset perditum. Quod si verò displicuerit *Authori* me famæ suæ hactenus consuluisse, mediceturper me licet, λοιμῶν φαλτευτικὸν, atque ulciscatur, quantum libuerit, temeritatem nostram, modò inter objurgandum ab elegantiâ & acumine præsentis operis non recesserit. Valè interim (*bone Lector*) ac ausu nostro fruere.

1 Cor. 2. 14.

Animalis Homo non recipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ipsi stultitia: neque potest cognoscere, eò quod Spiritualiter dijudicantur.

Audentidem subiit mirari, & nullus dubito quin & vos etiam (*viri Patres* ac *Fratres* in Christo dilectissimi) juxta mecum admirabundos sim habiturus, quid-pote rei, causæque foret, quòd eruditiores *Ethnici*, *Græci* præsertim, penes quos, quidni dixero, imperium literarum erat, fidē tamen Christianam, quod unum tantis μεγάλοις defuisse videatur ἐπίσημον, & complementum, tantopere aversarentur? Certè extra omnem controversiæ aleam ponitur, nusquam artes feliciùs excultas, nusquam scientiam, qualiscunque demum illa, aut undecunque, avidiùs & honorificentiùs exceptam; tentosa & enormis loquacitas *Athenas* ex *Asiâ* commigravit, obscurum, & μυστικὸν philosophandi genus, ex *Ægypto*; tanta incesserat Græcorum animos omnifariàm scientiæ libido, ut & φιλόσοφον γένος verus & plurimus ubique honos haberetur; μαγικὴ δ' ἐπιστήμη (ut *Clementis Alexandrini* verbis utar, cui pristinæ ac siteratæ *Græciæ* mores non minus ignoti quam cuiquam domus sua) μίγμα ἀπείρων, monstra artium, & Scientiarum tantùm non in deliciis erant, dum id unum sibi metuerent, & in animo agitarent, ne quidquam illos clam esse, quod alii usquam gentium scirent, crederetur; idque propter nulla extitit, vel sententia tam putida, vel secta deridicula, utputa non excors illa quæ nivem atram dixerit, quin *suos* meruerit in *Græciâ Sequaces, admiratores, amatores.* Sola veritas Evangelica, γνησία, cælo oriunda, quæ Christum in orbem hunc terrarum διαπρεπέστατα comitata est, & quæ sola tanta siti restinguendæ sufficerat, inter tot malè collocatos omnimodæ scientiæ amplexus, sola jacuit insalutata, spreta, abominata: nec tamen huic (quod & adhuc plus monstri habet) sua deerant lenocinia, & illecebræ, illæ planè ipsæ quibus & *delicatiora ingenia* aliàs irretita tenerentur, binæ enim illæ & quæ in alliciendis affectibus primas habent,

non

non aderant hîc modò, sed & eminebant, *novitas* nimirum *argumenti & præcellentia*; de Dei enim ἀνθρωπίνῳ nec inaudiverant, de resurrectione mortuorum, & salute animarum, nec *Flamines*, *Hierophanta*, *Mystagogi* aut si qui fuerant in ipsis διολογοῦντες quidquam subolfecerant, aut excipere aliter didicerant, quàm cachinnis, & quod ad dignitatem attinet Evangelii purum erat totius (ut ita dicam) divinitatis *Pantheon*, & unum quantum quantum erat μέγα μυστήριον: audacter dicam, nihil inerat in viâ Græcanicâ singulare præter stylum, qui tamen ubi de remediis, & morbosis animi affectionibus curandis agitur, tanti non est, quin apud æquos rerum æstimatores, longissimè cesserit, (ut infra pluribus patescet) Evangelicæ veritati, τί γὰρ παθόντες; quid ergo, malum! erat? O eruditi, literati, docti, Sapientes (O si per vos licuisset addere *Christiani*) quòd in tantâ artium, & scientiarum luce, in tam operosa rationis cultura, inter tot Sectas, & Sectatores, nemo unus, nisi à cœlo priùs gratiâ tactus, & corde divinitùs immutatus, seriò unquam evasit Christianus; quin potius, utcunque reliquis quotquot artibus & scientiis bene erat, *Unum Evangelium quos auditores tot habuit & hostes*; eosq; quasi multijugâ eruditione illâc feliciùs armarentur, quò doctiores & comptiores, eò acriores passim & infensiores. Causam hujus tam stupendi seu odii, seu ἀνηνασίας Græcanicæ, *cui deprecanda nec totius Gracia facundia par erat*; avetis jam tandem Academici (sat scio) cognoscere; habete igitur, eamque Apostolicam, & quicquid hariolentur Patres, quicquid causentur Ethnici, qui in aliud quodviscunque modò ne ipsis hæreat, causam & culpam libenter rejicerent germanam prorsus, & primigeniam: cætera enim quanticunq; erant, & literis qualitercunque instructi, nihilosecius *animales* erant. *Animalis autem homo non recipit ea quæ sunt Spiritus Dei, &c.* Quæ verba Apostoli, ut ab eo quod moris est non recedam, in hasce partes tribuo.

Occurrit in limine τὸ ὑποκείμενον *Subjectum*, cui reliqua textus innituntur, scilicet ἄνθρωπος ψυχικὸς *animalis homo*: isque statim duplici charactere describitur, nam primò, οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος Θεοῦ, *non recipit ea quæ sunt Spiritus Dei*: dein, οὐδὲ δύναται γνῶναι, *neq; potest ea cognoscere*: quibus tandem ratio utriusque continuò annectitur. Nam primò, *animalis homo non recipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, quid ita? *Sunt enim ipsi Stultitia.* dein, *neq; potest animalis homo ea quæ sunt Spiritus cognoscere* (ista enim sunt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda) quamobrem? *quia spiritualiter dijudicantur.*

Verùm enimverò non erat quod tantâ ἀκριβείᾳ textum hunc partirer, nam (ut quod res est fateor) non est mihi animus, saltem vobis interea non supperetet patientia, dum ista figillatim pertractarem: consultius itaque

fore

fore duxi, ut dimissis in præsens rationibus Apostoli, in illam partem textus quâ διεπῶσι agitur incumberem, in hæc nimirum verba, [*Animalis homo non recipit ea quæ sunt Spiritus Dei, neq; potest ea cognoscere.*] Ubi cùm aliquammultos insidiantes, imprimis verò *Fausti Socini*, Sacrilegos ungues impensè fodicantes deprehenderim, præsertim ne futuræ qualicunque opellæ labile, & arenosum fundamentum, nec textum ab Apostolo, sed (ut nonnunquam fit) prætextum potiùs dicendis mutuò accepisse videamur; placuit rem paulò altiùs arcessere & ad mentem Apostoli liquidiùs eruendam, addo, & sententiam Apostolicam superbienti naturæ egregiè occurrentem ab illiberalibus quorundam glossematis vindicandam, paucula in antecessum commentari. Eorum vero quæ ad hæc verba deinceps dicturi sumus Hæc forma & methodus esto.

Præstruam ante omnia quid sibi velit Apostolus per modum hunc loquendi, τοῖς ἔξωθεν, externis quotquot scriptoribus prorsus incognitum, scilicet, ἄνθρωπον ψυχικὸν *hominem animalem*. Dein, quid per τὰ τοῦ πνεύματος θεοῦ, Tertiò, quid sit μὴ δέχεσθαι τὰ τοῦ πνεύματος θεοῦ, quid μὴ δύνασθαι γινώσκειν, & quomodo hæc duo inter se comparentur. Hisce rite, sed quantâ potero brevitate, præjactis, Theses aliquot ad mentem Apostoli eliciam, quas curatè posteà, sicubi opus fuerit, communiam, & denique in Corollaria aliquot, seu πορίσματα ad praxin aliquatenus facientia, desinam. *Hæc erit admissâ meta terenda rotâ.*

Discipiendum itaque primò quid sibi velit Apostolus per ἄνθρωπον ψυχικὸν; prætermissis hic verò quæ ultro sese ingerunt grammaticationibus, & sententiarum divortiis, infiniti enim & operis res esset, & tædii, extremis ista vel digitis attigisse; præsertim cum ab exortu *Valentinianorum*, qui mira nobis primi narrârunt de *homine animali*, apud *Irenæum* lib. 1. cap. 2. *Tertullianum* adversus *Valentinianos* cap. 26. 29. & 32. *Epiphanium* hæresi 21ª, ad hæc usque tempora neminem reperire sit, aliàs in fide, saltem de gratiâ Christi ἀνεγκλήτων, & in hoc apice τοῦ ὄντος solidi quippiam tinnientem. Illis idcirco posthabitis ἀπὸ προσώπου (ut olim in Areopago factitatum est) & rotundè asserо, per *hominem* hîc loci *animalem* eum intelligi debere, qui gratiâ et Spiritu Christi intus habitante ac illustrante vacuus, soli rationi ejusque subsidiis vel nativis vel humanitùs adinventis innititur. Atque ita rem se habere ut dixi, liquidò (ni fallor) constabit penitùs ista mecũ perpendenti. Primò, quẽ hic infigniat Apostolus titulò ἀνθρώπου ψυχικοῦ. Secundò, quibus ipsum opponat. Tertiò, qualiter, aliàs Scriptura. Quartò, qualiter probati exinde authores describant. Et de his quasi per Saturã.

Et primum quod attinet, simplicem hìc animam, (quod Novatoribus quibusdam

quibuſdam è *Belgio* viſum eſt) rudem, impolitam, idioticam, & qualem habet, qui illam ſolam habet, illam de compito, de trivio, de textrinâ totam, (ut ſecundum grandiloquum ex Africâ patrem loquar lib: de Teſtimonio animæ cap. 1°.) non indigitat Apoſtolus, ſed illam potiùs ſcholis formatam, bibliothecis exercitatam, Academiis & porticibus Atticis partam Sapientiam ructantem, πρὸ ἀρχοντας τῶ αἰῶνος τούτου verſu ſexto & octavo hujus capitis; Pontifices, Sophiſtas, Philoſophos, penes quos regnum & primatus ſapientiæ ſæcularis (ut loquitur *Hieronymus*) quique avitâ *Græciæ* literaturâ innutriti, in eadem per ætatem & ſtudia firmati; nollent tantum barbaro orbi debere ludibrium & emotæ mentis argumentum, ut *Platonem Paulo*, rationem fide, & amœnitates Græciæ Evangelio Chriſti crucifixi commutarent. Quin potius, illud ad unum omnes, divini aliàs *Platonis* effatum, à *Clemente Alexandrino* tantopere laudatum, ad ravim uſque vel ipſi Chriſto in os ingeminâſſent, Ἐγὼ τούτῳ, ὅπῃ ἂν δοκῇ ἄλλῳ ἢ τῷ λόγῳ συνήδομαι Ego is ſum, qui ad nullius arbitrium me compono, ſed ſoli rationi cedo. De perſonâ ſatis. Vultin' verò ſecundò præſidentem hunc & ſui juris virum quibus opponat Apoſtolus? numquid πλείοσι in fide conſummatis, (ut *Eſtio* nuperè, ſanctoque olim *Auguſtino*, ſed ὡς ἐν παρόδῳ placuit lib. de verâ religione cap. 28?) aut Clerico, uti turpiſſimè ſe præcipitem dedit quiſquis ille fuit è fratribus fraterrimis, cui tamen tantum non applauditur in quodam papali extravagante? Nihil minus. Sed πνευματικῷ δοθείσῃ, Spiritu Dei imbuto, verſu ſubſequente, fidelibus, ſapientiâ & methodo divinæ cognitionis donatis, verſibus præcedentibus: quid enim? *Nos* (inquit Apoſtolus) *Spiritum Dei accepimus unde cognoſcimus ea quæ Deus nobis gratificatus eſt*, verſ. 12. Sed *Animalis homo &c.* En claram Antitheſin quam & alibi Scriptura ἀδιαλείπτως ſervat: quid? quòd diſertè dixerat Apoſtolus cap te præcedente *Evangelium pro ſtultitia haberi*, quibus tandem? τοῖς ἀπολλυμένοις, ergo ψυχικοὶ quos hoc ipſo nomine perſtringit hic Apoſtolus & *perituri* ejuſdem plane ſenſus habentur: accedit, quod parvuli in fide cenſendi non erant, *Græci* Ethnici, at in hos (uti palam eſt) invehitur hic Apoſtolus, quippe qui *Evangelium* ſoli *pro ſtultitia habuerunt*: ψυχικοὶ enim quos alloquitur Apoſtolus verſu 1° capitis ſubſequentis neſcierunt potius altiora Evangelii myſteria quam aut rejecerunt, aut pro ſtultitia habuerunt. Denique obſervatu hîc (quod & modo innuebam) digniſſimum videtur, nuſquam in novo Inſtrumento occurrere vocem [ψυχικὸς] quin continuò ei opponatur vel τὸ πνεῦμα ἔχον, vel τὸ ἄνωθεν, vel τὸ πνευματικὸν, quaſi in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis à Spiritu veritatis præcautum ſit, ne quando in rebus diſſitiſſimis

difficiliſſimis ratione ſcilicet corruptâ & gratiâ, quæque non niſi magno Eccleſiæ malo in unum coeant, ex libidine innovandi confuſio aliqua, quam toties vidit luxitque Eccleſia, naſceretur. Tertiò, σύμφωνος *Paulo Judas, Jacobus* Apoſtoli, ψυχικὸν deſcribente *Judâ*, quinam vero illi πνεῦμα μὴ ἔχοντες, Spiritum non habentes, verſu illius Epiſtolæ 19. *Spiritum non illum quidem mundi, aut ad munus conceſſum, ſed ſanctificantem, ſed renovantem*: quos enim illic prædicit Apoſtolus extremis temporibus venturos? numnam dono Spiritus Sancti Apoſtolicis tantùm temporibus conceſſo deſtitutos? Lata ἀνάφασις: aut *dono* (ut aiunt) *ædificationis* carentes? at quis id cuiquã tã ſeverè vitio verterit quod paucis cõtigerit, quoq; plurimi careãt ſine crimine? quos ergo? inſignitè *improbos*, ut ex cõtextu meridie clarius eſt. Adhæc σοφίαν ψυχικὴν, laudatiſſimum illud ὅτι ἄλλο in *homine animali* ita ſuis coloribus depinxit Jacobus. *Animalis* enim illa demùm Jacobo *ſapientia* eſt, quæ οὐκ ἄνωθεν κατέρχεται, *è cœlo non deſcendit*, quin potius inter terrenam & Diabolicam (nobilem profectò comitatum) media incedat, cap. 3. v. 15. probi itaque interpretis officio functus eſt *Theodorus Balſamon* in canonem 2ª Synodi *Nicænæ*, ubi ψυχικὸν *Nicanorum* Patrum ἀμάρτημα illud exponit eſſe, quod *afferat anima perniciem*. Deniq; illuſtriorem paulò reddemus inchoatum hunc in ipſis Scripturis *hominis animalis* characteriſmum, ſi probatorum aliquot hortùm autorum calculos mantiſſæ vice appendamus: itaque pulchrè *Suidas* in voce ψυχικὸν, ὁ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος καὶ ἀνθρώπου &c. *ex anima* (inquit) *& corpore conſtat homo*; cùm igitur aliquid fecerit quod Deo probatur πνευματικὸν *Spirituale* dicitur, nec ab *anima* nominatur, ſed à *Spiritu*, unde nobilior iſthæc operatio proficiſcitur; non enim ſufficit anima ad perfectum officium niſi Spiritus auxilio fruatur. Quemadmodum autem σαρκικὸς *Carnalis homo* dicitur, qui carni ſervit, ita ψυχικὸν *animalem* vocat Apoſtolus, qui res humanis rationibus committit, & Spiritus efficaciam non admittit. Hactenus *Suidas*. Rotundiùs *Suidâ* & pleniùs *Iſidorus Peluſiota*, cui & ſua (ni fallor) *Suidas* accepta retulit. *Spirituales*, inquit, vertente *Rhiterhuſio*, vocat *Paulus* eos, qui *Spirituali dono gratiæ ornati ſunt*, quique non tantum ſupra naturam ſe elevârunt, ſed etiam rationum & ratiocinationum conſequentias tranſcenderunt: *Animales* verò appellat de quibus ſcriptum eſt *animales Spiritum non habentes*, eos qui ratiocinationibus, & Syllogiſmis, & diſputationibus potius innituntur, & ex his ſe inventuros arbitrantur quod juſtum ſit & utile, quales ſunt ſapientes apud Græcos: *Carnales* denique qui affectibus carnis ſe vinci patiuntur, ab eo quod plurimùm in ipſis pollet denominationem eorum ſumens, quales ſunt omnes libidinoſi &

impuri: quanquam enim *Spiritualis homo* corpus habeat & animam, & *animalis* corpus habeat, & *carnalis* animâ non destituatur, ab eo tamen quod potissimum est, quisque appellatur. Hæc *Isidorus* solidissimè, juxtà ac in Græco purissimè lib. 4. Epist. 127. ad *Nilum Diaconum*.

In eandem fere sententiam *Clemens Alexandrinus*, si tamen *Clementis* sunt, & non cujusdam *Valentiniani*, quæ leguntur in *Eclogis Theodoti* à clarissimo *Heinsio* cum stromatevs libris continenter editis. Suffragatur huc itidem *Athanasius* in locum, nec assensum sustinet *Tertullianus* lib. 2. in *Marcionitas*, cap. 2. & hi ferè omnes, *Africum* tantùm patrem si quis exceperit, materiam hanc ex professo tractârunt: quo magis mirandum est commentatorum ἀστοχησίαν non vulgus modo, sed & eruditissimos hoc fugisse, unde insigniter adeò in phrasevs hujus explicatione fors cespitârunt. Denique comitem his adjungere juvat τὸν χρυσορρήμονα, nec eo tantùm animo ut suffragio suo nos muniat, sed ut sciant *Novatores*, qui in ἀντιθέσει floridissimi & piissimi patris mirificè sibi placent, qualis demũ *Chrysostomo* homo *animalis* fiet: ψυχικὸς (inquit) ἐστὶν ὁ τὰ τοῦ πνεύματος τοῖς λογισμοῖς τῶν ψυχῆς ἁπλῶς, καὶ μὴ νομίζων ἀνωθέν τινος δεῖσθαι βοηθείας. & paucis interjectis, ὁ διὰ σαρκὸς ζῶν, καὶ μόνα φαντασθεὶς ἢ τὰ διὰ πνεύματος, ἀλλὰ μόνην τὴν ὑμετέραν καὶ ἀνθρωπίνην σύνεσιν ἔχων, ἣν ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς ἐμβάλλει ὁ διάβολος. Nimirùm homo uni rationi deditus, solâ animâ præditus & gratiâ destitutus. Hom. 7. in priorem Epistolam ad Corinthios. Hanc itaque dictis clausulam par est imponere. Quod mentem Apostoli nec assecuti sunt qui sacris Scripturis nondum initiatum cum *Sotino*, quive ἀλιγάμτον cum *Estio*, vel sensibus & affectibus deditum cum *Novatoribus*, præeuntibus illâc Scholasticis & (quod mirum est) *Erasmo*; multò minus qui *Latinum*, uti splendidè nugatur Sacrificulus, ἄνθρωπον ψυχικὸν interpretantur, cum & adversarius, quem sibi proponit hic Apostolus debellandum, nimirum *Ethnicus*, cum crebra ἀντίθεσις, tum suffragium demum cum Apostolorum, tum authorum magni faciendorum, & quibus in Græcæ & vernaculæ linguæ apice multò securiùs fidendum quam ἀλλοφύλοις, rem ἐν βίβλοις constituant, alium hic non intelligi debere quam (ut *Syrus* Interpres μεθερμηνεὺς) filium hominis in animâ *i. e.* in privato animæ judicio acquiescentem, de illius culturâ sibi placentem, & incerto fallacique rationis modulo omnia metientem.

Promoveamus itaque hinc tandem ad ea quæ sequuntur. Indagandum verò proximò quid sibi velit Apostolus per τὰ τοῦ πνεύματος θεοῦ; quod ut & reliqua quæ ad mentem Apostoli aperiendam faciunt, ne diutius hisce minutioribus vos torqueam, strictim exequar: summatim ergo.

10. Nec

1° Nec τὰ ῥήματα, verba, quibus Spiritus ſanctus uſus eſt in patefactione Evangelii, hîc intelligenda ſunt, utpote quæ *rationi* & ψυχικῷ ἀνθρώπῳ nihil ἀσυμβλήτως (prout verba ſunt) contineant, uti mox commonſtrabitur.

2° Nec τὰ ἔργα πνεύματος, opera Spiritus, ut *fides, ſpes, Charitas*, quippe quæ haud raro recipiant οἱ ψυχικοὶ nempe à naturæ ad ſtatum gratiæ tranſituri. Porro nec intelligi poteſt quomodo *opera Spiritus præſtultitia habenda ſint à Græcis*, cum interna ſint & imperceptibilia, ſolique Deo & poſſeſſoribus nota.

3° Nec τὰ φαίνομενα ſeu νοήματα Spiritus ἀγαθὸς, multa enim ultra illud quod Grammaticale eſt communia ſunt Evangelio cum externis diſciplinis, ideoque vi nativi luminis penetranda.

4° Sed quartò (ut dixi) myſteria fidei τὰ ζωοποιὰ, πνευματικὰ ἴδια, veritates puræ putæ ſpirituales & Evangelio propriæ, illæ non à rebus conditis petitæ, ſed à revelatione conditoris, nec quæ præmonſtrante ratione, ſed ſuggerente & dictante Spiritu fidelium mentibus ingenerantur: quid enim? ſicut τὰ Καίσαρος Matth. 12. quæ affinis hujus eſt phraſeologia, alium præter *Cæſarem* proprietarium (ut ita loquar) non admittunt, ita nec ea quæ ſunt Spiritus alium à Spiritu Sancto *Hierophantam*; ideoque τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod vi nativi luminis ἀπὸ κτίσεως in libro creaturarum pellucet ad Rom. cap. 1. verſ. 19. cujus ſanè generis plurima ſunt (quicquid oggerat *Socinus* Prælectionum cap. 2.) eaq; ſublimia, nimirum divinitas & potentia Dei; diverſi prorſus ordinis cenſendum eſt ab his quæ τὰ πνεύματος Θεοῦ hîc loci audiunt, & quorum nec vola nec veſtigium per totum mundi aſpectabilis circuitum deprehenditur, cujuſmodi ſunt *Trinitas perſonarum* in divinis, *Incarnatio, Satisfactio Chriſti, Reſurrectio mortuorum, gloria futuri ſæculi*, aliæq; (ut in ſcholis ſubinde loquuntur) cùm res, tum modi ſpirituales & Θεόπνευστοι qui (ut Apoſtolus noſter verſu nono emphaticè) οὐκ ἀνέβησαν ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου in cor hominum non aſcenderunt, nimirum ex rerum quæ infra ſunt mundanarum, & ſenſibilium ſubtiliſſimâ inſpectione.

Pergamus ergo & quod erat in commentario ultimum abſolvamus. Nempe, quid ſit πῶς γινώσκει τὰ τοῦ πνεύματος Θεοῦ, quid πῶς δύναται γνῶναι, & quomodo hæc duo inter ſe comparentur. Οὐ δέχεται non *percipit* reddit vulgata, diminutè; numquid enim non *percipere* quippiam dicatur is qui non poſſit illud cognoſcere? at *Animalis homo* (ut ſequitur in textu) *non poteſt ea quæ ſunt Spiritus cognoſcere*; non *percipere* autem eſt rem non perfectè cognoſcere. Non *accipit* Eraſmus, ambiguè in re tanti momenti

(ut rectè notat Beza) non *capit* alii; minùs distinctè: *Non est capax* Beza: improvidè, quid enim aliud τὸ μὴ δύνασθαι χωρεῖν quam incapacem esse? dein, nimis Philosophice, sensum vero Scripturarum à Philosophis mutuò accipere, est (ne quid gravius dicam) de rebus domesticis peregrinos interrogare. Ergo oppidò quàm placet versio Anglicana non *recipit*, cùm quia textus circumstantiis maxime accommoda, tum quia verbum δέχεσθαι utut multoties occurrat in novo Instrumento, nunquam tamen commodiùs reddi possit quam per *recipere* seu *excipere*: *Animalis* itaq, *homo* dicitur ab Apostolo ea *quæ sunt Spiritus non recipere*, ductâ metaphorâ, non (quod Bezæ visum est) à vasis minoribus quæ majus quippiam illorum proportione capere nullâ ratione possunt, sed ab iis potius, qui cum sobrios & prudentes soleant hospitio excipere, iisque abblandiri, stultos tamen & nugones tanquam in rem suam nihil cõmodi apportaturos nullâ humanitate prosequũtur; nam eodem planè modo οἱ ψυχικοὶ inter Græcos, omnes omnino sæculi veritates, pomposas illas quidem & palatis eorum attemperatas, ambabus ulnis amplexabantur, Evangelium vero ejusq; mysteria tanquam ridiculam, & nihili rem insuper habuerunt: & hanc vocis hujus translationem passim observare est in novo Instrumento.

Summa hæc est, ψυχικὸν, hîc erga Evangelium, subindicatur δυσπάθεια, vel potius ἀπάθεια, affectus nullus, cordis (ut ita dicam) intemperies: uti per τὸ μὴ δύνασθαι γνῶναι, capitis; illic mysteriis Evangelii non afficiuntur, hîc in iisdem planè exercutiunt, illic inhospitales, hîc incapaces. Quocirca non est (ut ad umbilicum tandem res perducatur) ferenda hîc Scholæ Socinianæ temeritas & ἀνεγλογία, quæ cùm non possit non prospicere quantum ab hoc textu periculi immineret libero quod tantoperè exosculantur arbitrio, & αὐταρκείᾳ rationis, quæ hinc, modò fileret aliàs sacer codex, pessum iret; maledictâ hac glossâ unà textum (ut solent) corruperunt, &, ubi maximè constricti videbantur, παραχρῆμα ὄφεις elapsi sunt; non enim (ut loquitur *infanstus* ille fabulæ *choragus*) aliter hîc accipiendus est Apostolus, quàm ut ostendat humanum genus suopte Marte & ingenio mysteria, & methodum salutis non nisi Christo revelante invenisse; at revelatis demum, obvia sunt & exposita hic omnia unicuique τὴν διάνοιαν ἀνεπάφως sanam rationem afferenti; orto enim Evangelio & experrectâ ratione, quicquid est ubique mysteriorum evanuisse arbitrantur: *Smalcius* in refutatione thesium *Schopperi* de Trinitate, paginâ 212, *Ostorodus* sub initium institutionis suæ Germanicæ. *Socinus* in epistolis, à quorum sententiâ optaverim sanè longiùs abcessisse primorem quendam è Remonstrantibus virum in Collegio disputationum theologicarum

capite

capite de *perſpicuitate Scripturæ*; & nuperos cenſores capite primo. Ideoq; μὴ λίχεσθαι exponunt per μὴ ἐυρίσκειν, adeo ut ſenſus ſit, *Animalis homo* non *invenit ea quæ ſunt ſpiritus.* Πλὴν σὺ ἐκ τῶν φύγοι, ἵνα δ' ὀλίγον; at quoniam eouſque ipſos ineptire juvat, non ſic abibunt; ideoq; dic ſodes mi *Fauſte* per ſacram criticen quam colis, unquamne tibi per novum fœdus (ut loqui amas) verbum λίχεσθαι per *invenire* exponi ſeſe patiatur? quinquagies præter propter legitur in novo Inſtrumento vox λίχεσθαι, nec unquam gloſſema tuum ſerviat illi elucidandæ, ni cuiquam collibitum fuerit eouſque inſenſatum eſſe, ut *Iacobi* illud, [λίξασθε τὸν λόγον ἔμφυτον] exponere velit *invenite verbum implantatum*, quod tamen ſoppte Marte *invenire*, vel *Socino* judice, nemo poteſt? promittitis Nugivendoli collationem Scripturarum, ſed reverâ præſtatis torturam: dein, cuicunque licet eſſe tam ſtrenuo Logico ut τὸ ποιῆσαι & τὸ πάσχειν, modos rerum διὰ διὰ πασῶν toto genere diverſos commiſceat, idem jure poſſit λίχεσθαι & ἐυρίσκειν confundere, atq; *idem jungat vulpes & mulgeat hircos.* Tertiò, ſtante hoc *Socini* interpretamento, *Animalis homo non recipit i. e.* non *invenit* ea quæ ſunt Spiritus, liqueſcet planè inſequens ratio Apoſtoli, *ſunt* enim *ipſi ſtultitiæ*: ecquis enim ſobrius dixerit ideò *hominem animalem ea quæ ſunt Spiritus non inveniſſe, quia ſunt ipſi Stultitiæ*, qui ſecum reputaverit quantus ſit ſtultitiæ artifex *homo Animalis*, quippe qui Spiritu Dei, vel, ut mavult *Socinus*, verbo Dei deſtituatur? accedit, quod non minima pars Sapientiæ eſt ſtultitiam cognitam habere: *Solomon* enim Regum poſt homines natos ſapientiſſimus huc animum appulit, ut non modo ſapientiam ſed & ſtultitiam & inſaniam cognoſceret, ergo ſi *Animalis homo* aut *ſapiens* ſit, quod equidem vehementer addubito, aut *Stultus*, quod malim, intererat tamen illius in ſtultitiâ vel inveniendâ vel certè deprehendendâ occupari. Adhæc legamus textum, quia *Socino* ſic placet, *Animalis homo non invenit ea quæ ſunt Spiritus, ſunt enim ipſi Stultitiæ*: quænam obſecro ſunt ei ſtultitia, numquid inveniendæ? at quî id noverit *homo animalis*, ergo non agit Apoſtolus de inveniendis, ſed inventis, non de revelandis ſed jam revelatis: quid? quòd erant temporibus *Pauli* compluſculi qui Evangelium in aures hominum jugiter influens pro *ſtultitiâ* habuerunt? Denique, dato ſed non conceſſo, laciniam *Socini* hic obtinere, *Animalis homo non invenit ea quæ ſunt Spiritus*, at quid hinc ipſis emolumenti, ni poſſint aliquo ſtrategemate evadere vim ſequentium verborũ [εἰδὲ δύναται γινῶσκαι] quæ graviùs minantur ſanæ quam defendunt rationi, quàm μὴ λίχεσθαι: quod, ut ſenſum toti orbi literatorum ignotum exprimant, in equuleum conjecerunt, ne ſana ratio, ejuſq; ſufficientia, quam ita inſanè tuentur,

periclitetur

periclitetur? Atque hactenus Commentatoris partes egimus; non diffiteor jejuniora posse videri hæc quàm ut concionantem tamdiù morarentur, attamen cùm in eam ætatem & adversarios inciderimus, qui non secundùm scripturas sed *de* scripturis ipsis judicium ferunt, Theologi munus non minùs explere videtur is qui textui manum adjutricem, quàm qui populo documenta porrigit; nec Deo gratum minùs consilium iniit qui scripturas, quàm qui animas salvas cupit: pluribus hanc prolixitatem tuerer, ni metuerem fore ne prolixitatem hanc defendendo fierem prolixior. Transeamus itaque ad theses quas ad mentem Apostoli pro virili nostra adhuc erutam exhibiturum me proximò recepi, eæque quatuor sunto.

Prima, *Quicquid est verborum in Evangelio potest, & magnam partem solet, vi nativi luminis intelligi.*

Secunda, *quicquid est illic rerum civilium & naturalium*, vel ut plenius dicam, *cum externis disciplinis communium, potest idem, & magnam partem solet, vi ejusdem luminis intelligi.*

Tertia, *ad veritates verò supernaturales, & purè spirituales dijudicandas deficit prorsùs, certe non sufficit nativum intellectus nostri lumen, quibuscúnque demum adjumentis à se profectis auctum & elevatum.*

Quarta, *Sola gratia supplet hunc defectum & ἀδυναμίαν naturæ.*

Nihil hic de voluntate ejusque nativâ impotentia prudens immiscui, etsi fatendum sit, haud invito Apostolo id fieri posse, verbum ἀγαθὸν ad affectus tantùm referatur non voluntatem; in quo jam non disputo, præsertim cùm si voluntatem respiciat, de voluntatis tamen viribus nullis anquisitiùs apud vos agere, aut tempus non fert, aut certè quod majus quippiam videtur, tempora.

Ad theses itaque me accingo, & prima fuit.

Quicquid est verborum in Evangelio potest, & magnam partem solet, vi nativi luminis intelligi.

Qui reliqua potentiæ suæ opera nec luci, nec oculis, idem summus opifex, nec Evangelium, Summum sapientiæ suæ specimen, cognitioni invidit, ne enim ignoretur fulget in cortice, (ut *Hieronymus*:) suâ luce coruscat, nec oculo hic quisquam indiget, nisi qui ratione destituitur. Idem mecum sentire non gravabitur, qui unà mecum pensitaverit

Primo, Peritiam linguarum non *Spiritus Sancti*, ejusdemque peculiaris ἐνεργείας purum & immediatum opus, sed *rationis*; etsi enim, non diffitendum sit, sub Ecclesiæ Christianæ nascentis adhuc tempora, inter cætera διάκρισις & donum linguarum numerari: veruntamen ἐκ τάξεως hoc, & urgente temporum necessitate; postquam enim supremo numini è re suâ

Visum

viſum fuerat mundum quorundam Idiotarum miniſterio in lucem evangelii transferre, quò potentia ipſius illuſtrior redderetur, utpote humanis conatibus neutiquam adjuta, neceſſum erat ut dono linguarum, viri aliàs haudquaquam πολύγλωσσοι, aut *cultura rationis vacantes*, ad ſubita muneris Apoſtolici ἐργάδια inſtruerentur, at ex illo tempore dono linguarum pepercit Deus, & popoſcit induſtriam, nec inſpirat ampliùs hanc evangelii notitiam ſed expectat; excoli vult nativas vires, non cælitùs novas impertire, & qui Chriſtianos nos eſſe voluit noluit eſſe otioſos.

Secundo, Ut communibus naturæ ſubſidiis ἐπὶ τὸ πολὺ parantur Linguæ, ita non eſt quòd quiſquam ſibi metuat Linguam ſacri codicis iiſdem mediis comparari non poteſſe, poſtquam nôrit, obvia hic omnia, ipſiuſque plebeculæ captui fere attemperata, ὡς ὁ παιδίσκος λέγει v. 4. (inquit Apoſtolus) addo ego ὡσ' ὁ ἀββᾶς ὁ μυσταγώγος. Non calamiſtris Rhetorum, nec Dialecticorum argutiis res hic agitur, ne quando pauper quereretur nimiùm caram Evangelii notitiam, ἐγὼ πάνυ πολλῶ, ἐγὼ χείρω μακρῶ, ἐγὼ δυνάμις ὁ σμικρὸς, ἐγὼ πτωχὸς δηῶς λαμπρός, ut eleganter olim *Lucianus* de ſtudiis humanioribus, quin potius *in vaſis fictilibus theſaurum hunc habemus*: ὑπόθεσις autem hæc & parabilia vel paupertinis. Et certe ſi in pompatico eloquentiæ ſermone turgidum incederet evangelium, quam ἀντίθεσις hoc, & doctrinæ crucis & humilitati Chriſti, qui ὄντως οὐ *nihil* tamen *magnifici ſpirabat* in vitâ aut *ſecularis pompæ* affine; conveniebat ergo ut parem haberet & humilitati & vitæ hiſtoriam, ne cothurnatum hic mendicum nobis exprobrent naſuti homines, apud quos ob φιλοσοφίας γυμνὰς καὶ βασιλικὰς τραγικοῦ-τας μετὰ σατυρικῶν nec virgulam cenſoriam effugit ὁ ἐξ ἀυτῶ Euripides: quicquid itaque ſit de nomine *tetragrammato*, de Rabbinorum, Talmudiſtarum & Cabaliſtarum myſteriis, (ἀββᾶς dicam, an inſomniis?) mihi ſemper ſerio Theologo digna illa ſententia videbitur, quæ myſterium Evangelii non in *cortice verborum* ſed *ſenſuum medulla* collocat: Theologiamque is demum ritè expreſſerit, non qui *habitu meretricio* depinxerit ſed *matronali*, & ſordido potiùs quam ſplendente, quæque nullius oculi aciem aut præſtringat aut lædat.

Tertio, Parabilem eſſe Evangelii Grammaticalem hanc (ut ita dicam) notitiam, ſive vires nativas intellectus noſtri, ſive Euangelium ipſum ſpectemus, ulteriùs patebit, modo attenderimus quid in hoc genere præſtitum ſit, (nam quid præſtari poſſit prius dixi) ab iis qui à gratiâ & Spiritu Chriſti perquam fuerint alieni; *Celſum* intelligo, *Porphyrium*, & *Julianum* τὸν ὑποφήτην, qui Euangelium allatrando, certiores nos fecerunt, Euangelium ipſis ſaltem quoad externam verborum compagem incognitum

aut

aut incompertum non fuiſſe. Denique non eſt quòd abſterreant nos à propoſito crebri, quos ſubodorantur nonnulli, Hebraiſmi, & Idiotiſmi novo Inſtrumento peculiares, quos tamen multò pauciores eſſe quàm vulgò æſtimatur, dudum à doctis quibuſdam palam factum eſt, quorum elucubrationibus addi etiamnum facilè poſſit ab eo qui paulo verſatior fuerit in Græcis authoribus, apud quos pluſculi deprehenduntur ejuſdem commatis Hebraiſmi: ſed eſto, ſcateat novum Teſtamentum frequenti Hebraiſmo, attamen gratiâ Dei ſingulari (ſat ſcio) non aiunt opus eſſe ut internoſci detur, cum & ipſa Lingua Hebræa, unde Græco contextui affricantur iſti, quos (ut plurimum) ſomniant Hebraiſmi, ſit à ratione, adhibitâ horſùm operâ, non ita multo ſtudio comparanda. De linguâ vero Helleniſticâ, non Græcâ (ſi diis placet) ſed Græcienſi quam pauci totâ retrò antiquitate perſpicaciores in Euangelium invexerunt, non eſt quod quidquam vereamur, cum ſi ponatur, non tamen excedere vires rationis, ipſi commentitiæ hujus ſive linguæ, ſive Dialecti inventores ultro ſint faſſuri.

Concludimus ergo cum alia non ſint in Euangelio verba, phraſeſve, quam quæ alienæ materiæ ab ipſis *Ethnicis* vel applicata jam olim fuerint, vel certe, modo ſtudia huc intendiſſent, applicari potuerant, fidenter aſſerendum, *Platonem*, *Homerum*, *Demoſthenem* (ſi reviviſcerent) quicquid uſpiam occurrit hic Grammaticale aſſecuturos; ideoque Euangelium ſive in veteris, ſive novi Teſtamenti libris exaratum, clauſum libellum quibuſvis fore, aut ignaviæ aut inadvertentiæ, neutiquam ſtylo imputandum eſt: ſed de Euangelio verbo tenus ſpectato ſatis ſuperque dictum eſt, rem ipſam proximo inſpiciamus, atque huc facit ſecunda Theſis, quæ erat.

Quicquid eſt in Euangelio rerum civilium & naturalium, vel (ut plenius dicam) *cum externis diſciplinis communium, poteſt itidem, & magnam partem ſolet, vi ejuſdem luminis intelligi.*

Supponimus hic (uti obſervatu facile eſt) aliquammultas reperiri intra Euangelii pomœria veritates ὁμοταγεῖς cum externis diſciplinis commune quiddam habentes, quod certe nemo inficias eſt iturus qui ſacrum codicem vel primoribus labiis deguſtaverit; quot enim inibi obviam legenti fiunt præcepta *legi naturæ, omnium cordibus inſculptæ*, ἀρμονικώτατα; quot hiſtorica quæ ἀνώτατα leguntur in Ethnicorum ſcriptis? quot inquam (ut cum barbaris loquar) concluſiones tum ſpeculativæ, tum practicæ, quæ cum eædemmet apud Gentiles legantur, efficiunt, ut illud Comici uſurpem, *qui unum probè novit, utrumvis noverit:* noluit enim, noluit certe benignus omnium parens, in Euangelii patefactione ita myſteriis infirmitatem humanam obruere, ut nihil eſſet ubi ratio pedem figeret, ne prorſus arceantur

ceantur ab ejus amplexu homines, nec tamen eousque omnia rationi sum̃ miſit ut ad illius intelligentiam non opus ſit eſſe fideles. Ita potius contemperatum maluit Euangelium, ut & eſſet ubi ratio penetret, & ubi fides exerceatur, ut ab Euangelii amplexu homines eſſe non deſinerent, fierent tamen divini: quædam voluit aperta, eaque formoſa, ut quæ lateant meliora putemus: quædam intellecta, eaque bona, ut hinc, & quæ intellectum ſuperent bona itidem arbitremur, adeo ut Judæus perinde ac Gentilis huc oculos conjciens, ἀπορήσει δυνάμει ἐξ ὧν ὑπέσχετο ἐπὶ τὰ ἀπίστα, ex iis quæ crediderit ad incredibilia duceretur, ut pulcrè Auctor ſtromatem lib. 2.

Apud *Plutarchum* legere memini in tractatu illo aurò contra *non cara deis Dæmones*, genti cuidam in more poſitum fuiſſe, ut *ſicubi ædes templis Deorum contignas demoliri opus eſſet, id præcipuè caverent parietem contingentem ſalvum & intactum relinquerent, ne aliàs ipſi templo vim intuliſſe viderentur.* Et nos ſanè toti aliquando eramus templum Domini propriis ipſius manibus conſtructum, imò etiamnum ſumus, tametſi plurimum antiquæ operis formæ deceſſerit, nimiùm enim quantùm prophani illic ſacrilegi inædificavimus, *creavit enim nos Deus rectos* ſed *plura ipſi adinvenimus*; poſtquam vero hoc quicquid eſt ædificii profani placuit ſupremo δημιουργῷ demoliri, vicinum tamen hunc rationis parietem niſi quâ vitio ſuo ruerat ſartum tectum reliquit: quid enim? dirutâ certe ratione nec ipſi animæ humanæ ſatis ſalva omnia, ſaltem λογικὴ λατρεία, cultus ille rationalis quo uno Deus ſummopere delectatur exhiberi nequit, niſi ſalvâ ratione: quamdiu itaque conſtet homini ratio, quæ eadem cum ſit, in eadem ferri poſſit, aut æqualia; ſuæque ſuperſint Euangelio veritates, aut eædem prorſus, aut perquam ſimiles ταῖς ἐξωθεν, tamdiu vim & uſum nativi luminis nec periclitante gratiâ divinâ, nec modeſtiâ noſtrâ licebit deprædicare. ſi qui vero ſint qui in hoc argumento plura ſcire aveant, ad ſcholaſticos ſunt hinc à me ablegandi in prologum ſententiarum ubi compluſcula ab illius ſectæ viris (ut ſolet in iis quæ ad Philoſophiam propiùs vergunt) ſubtiliſſimè diſputantur, ὠδυναδὸν tamen ferè concluditur: quod etſi quiſque quaſlibet aut non poſſit, aut non ſoleat, omnes tamen ſingulas non obſtante plagâ illâ primævâ, & vulneribus naturæ πολυφυλάκτοις, veritates cujuſcunque generis à creaturarum inſpectione petendas aut aſſequi poſſe, aut certè haud infructuoſe ariolari.

Atque hactenùs vires rationis quantum licuit, ad altiora feſtinantibus experti ſuimus, multas ſanè, nec forſan famâ minores, comperimus; ὅσα λοιπὸν, ἐξ τῶν Εὐαγγελίων τὰς τῶν ἐντὸς κατασκήνους, ut illud Marcellini à Demoſthenis

ſthenis ad Thucydidis *ἀπὸ ἀκροσφαλοῦς* tranſituri paululùm inflectam: nam &vos (Academici) rationis quali quali contemplatione adhuc à me impeditos, ne dicam initiatos, ad myſteria *ἀπολύτως* ſyncerè divina tandem juvat invitare. Et jam valete quotquot eſtis naturæ myſtæ, tuque (abſit dicto arrogantia) plùs oculis meis amata jucundiſſima Philoſophia; in alium jam tandem orbem delati ſumus, ubi *Sol* alius, alia *Sydera*, tois altéro tanto dicam, an infinities clariora ſunt exoritura. Nihil hic à pedibus tuis, labant firmiſſimi, nihil ab oculis tuis hippiunt pluſquam cucurbitas acutiſſimi, ad rem quam paro adjumenti; ni forſan quod præſtant cœlum verſus tuentes oculi clariores, ut illinc abeſſe nos longiùs ſuſpicemur, nec tamen prorſus contemnendæ artes, aut inſuper habenda *ratio*, *claudicet* licèt, ut olim *Mephiboſheth utroque pede*, claudicet enim licèt utroque pede, eſt tamen ut idem *Mephiboſheth* de *Sanguine Regio*, & degener licet, *divinæ tamen particula auræ*.

Atat tranſeundum hinc; numquid vero invito? ad tertiam illam & principem theſin, quæ ſic ſe habet.

Ad veritates ſupernaturales & purè ſpirituales dijudicandas deſſitit prorſus, certè non ſufficit nativam intellectus noſtri lumen, quibuſcunque dimum adjumentis à ſe profectis auctum & elevatum.

Qui dignitati humanæ hactenus conſului, tandem (uti par eſt) metas pono & columnas *rationi*, & Columnas certè nec Hercules ipſe dedignatus eſt, *terminiſque claudit ur Oceanus ſuis*: nempe lucem animæ nativam qui præſtantem voluit, noluit interminatam; quique hominem *rationis* compotem finxit, odit *ἀνοησίαν*: maxima ſit *ratio* (per me licet) modò nec tollatur *gratia*, nec tollantur gratiæ, creatoris opera ſuſpicio, maximè *rationem*, imminutum tamen iri nolim *Redemptoris beneficium*. Summatim, ſuis privilegiis gaudeat *ratio*, incolume modo ſervetur & *meritum Chriſti*, & *humilitas Chriſtiani*: adverſurios itaque ſi quos habuero, *ἀδοξούμενα*, Suffenos, ſuperbos putate, quibus (quod aut victoriæ, aut certe ſolatii loco ſit) Deum ipſum reperio *ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται* Jacobi 4. v. 6. Sub ejus itaque vexillo aut ſecuros, aut tutus, *ἀσυλησίαν*, vel certe *inſufficientiam rationis*, ſequentibus argumentis ſum preſſiùs aſtructurus.

Et primum argumentum ducetur à *myſterio Euangelii*.

Secundum ab *improportione rationis* & *veritatum ſpiritualium*.

Tertium à recepto diſcrimine triplicis luminis *Naturæ*, *Gratiæ*, & *Gloriæ*.

Quartum à neceſſitate *Gratiæ fidei* & *illuſtrationis ſpecialis* Spiritus ſancti.

Quibus

Quibus proclive eſſet & alia adjeciſſe, ſi aut opus foret aut otium.

Primò itaque *myſterium Evangelii* ſufficientiam *rationis* in rebus fidei aut evertit penitus, aut concutit, vos Academici hujuſce rei arbitri eſtote.

Ita ſanè à naturâ comparatum eſt, ut unicuique religioni, addo etiam & arti, ſua inſint myſteria, eaq; non niſi ab ἐμπείροις à filiis illius artis, & eâdem religione initiatis cognita, & perſpecta. In artibus res adeo clara eſt, ut nec ſordidis ſua deſint, etſi haud immeritò pertimeſcam, ne *myſteria iniquitatis* ſint iſta pernimiùm vicina: quod ad *Religionum* verò *myſteria* attinet, ſua habent *Perſæ*, eaque à Chriſtianorum myſteriis (ut *Origenes* olim contra *Celſum*) haud multùm abludentia. *Indi*, *Syri*, myſteria ſibi reſervant, plebi dant fabulas, apud eundem *Originem*. Sua habent *Græci*, μικρὰ, μεγάλα· ſua *Ægyptii*, ut Jamblychus; ſua pariter, & penè dixeram omnia, *Romani*.

Ut pueri norunt & qui nondum ære lavantur.

Solis *Socinianis* (ut id obiter notem) contigit Religio, (ſi tamen *Religio*) ſine myſterio, ſine Sacrificio; & forſan expedit, ut qui tantâ arbitrii libertate ſoli potiantur, ſoli nullo religionis vinculo tenerentur. Sed hoc ἐν παρόδῳ. Unde hunc myſteriorum morem hauſerint Gentiles, & à vero Deo alieni, etſi diſputent complaſculi, ego tamen nullus ambigo, quin vel à populo Dei, cujus in aliis pleriſque μιμηταὶ erant, vel à Diabolo Doctore, qui tametſi in *viis Domini* non novit *ambulare*, novit tamen quandocunque id opportunum ſibi fuerit eas *imitari*: enimverò methodum Dei ſuis inventis inducendo, & gratiam cultui ſuo conciliare ſolet, verúmque Dei cultum eatenùs myſteriorum communitate confundere, ut uter ſit divinior ægrè internoſcatur: μίσγειν itaque myſteriorum apud veros Dei cultores, hinc enim & ſua Gentes didicerunt, perfectiſſima ergo apud Chriſtianos ſint neceſſe eſt, utpote cultores Dei conſummatiſſimos; aliquoſve vero agnoſcit Chriſtianiſmus filios genuinos niſi eoſdem lucis & diei, quibus tantæ Sublimitatis myſteria aut colenda ſunt aut attingenda? hæc enim inter & illa paganorum æternùm hoc inerit diſcrimen, quòd in illa Gentilium, occultiſſima cum fuerint, non raro à profanis irrumpatur; teſtatur hoc *Publii Clodii* apud *Plutarchum* & *Æſchyli* apud *Clementem Alexandrinum* conſignata huc olim literis temeritas: ad Chriſtianorum vero myſteria omnis præclodatur aditus niſi per unum Spiritum Sanctum

Myſtarchen ſimul & interpretem; τὶς γὰρ οἶδεν; *quis* enim *hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui eſt in eo? ita quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei*, ut ſignanter Apoſtolus verſ. 11. atqui foris nemo novit, poteſt tamen cognoſcere? ita quidem illi è Poloniâ; interim διαῤῥήδην *Paulus* οὐδὲ δύναται γνῶναι; nec ἀφ' ἑαυτῦ hæc Apoſtolus. Magiſtrum noſtrum audite, *vobis datum eſt* (ait Chriſtus ipſe Matth. 13.) *noſſe myſteria regni cœlorum, illis non* item: *vobis* diſcipulis, ovibus meis, *datum* eſt noſſe, non *natum* vobiſcum; *vobis* datum, non *illis*, qui tamen σοφοὶ, φρόνιμοι ὄντες, ratione pollebant ut qui plurimum: quid hic Schola *Polonica*? vobis contigit Parabolarum expoſitor qui διηγήσατο pandat. eſto, ergo aut ratio non ſufficit, aut quid hic ovibus privilegii? Reponunt, ſufficit ratio, ſed revelatis demùm myſteriis: agnoſco, ſed intus, & per Spiritum, imo (inquiunt) exterius tantum revelatis, animum huc afferenti lucida ſatis quæ ſalutaria, & aut cognita aut cognoſcenda rationi.

Itane vero? quorſum ergo Chriſtus, *non poterant credere quia dixit Eſaias*; Dein, *magnum eſt myſterium* pietatis [*Chriſtus manifeſtatus in carne*] ecce Chriſtum *manifeſtatum* & tamen *myſterium*. Denique meridiano jubare clarius quod Chriſtus Matth. 11. verſ. 25. ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ *gloriam tibi tribuo pater, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & intelligentibus, & detexiſti parvulis quia tibi placuit: abſcondiſti* hæc, quænam obſecro niſi *myſteria* regni cælorum & *gratia*? en (Auditores) myſteria ſunt, & myſteria abſcondita, duplici modo obruta & à Sæculi Sapientibus occultata. Fare jam obſecro, niſi cui frons prorſus periit, pugnetne cum ſufficientia rationis myſterium Evangelii.

Proximum argumentum ductum erat ab *impreportione rationis & veritatum Spiritualium.*

Millies in Scholis recoctum eſt inter cognoſcentem & cognitum intercedere debere proportionem, & nihil agere extra proprium genus: pro fundamento tamen ἀξίωμα hoc philoſophicum poſſim licet & jure optimo, nolo tamen accipere, ne fulcrum Sententiæ noſtræ βεβαιότατον philoſophiæ acceptum referatur: fundari itaque par regulæ videtur in dicto illo Johannis Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 2. ubi *novimus* (inquit) *fore ut cum ipſe patefactus fuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*: quod argumentum enerve prorſus eſſet niſi *cognitio* (de viſione enim agitur intellectuali quæ propriè loquendo cognitio eſt) & *ſimilitudo*

militudo ſe mutuo ponerent; quî enim fieri poſſit, ut *ſimiles* eſſimus ei eo quod *cognoſcimus*, niſi cognitio ſimilitudinem aut involveret, aut (quod perinde nobis eſt) inferret? horum vero alterutro conceſſo, ſequetur illicò, lumen nativum veritates Spirituales non poſſe attingere, deeſt enim illud unde omnis cognitio aut proficiſcitur, aut ſine quo non proficiſcitur, nimirum *proportio* aut *ſimilitudo*: quemadmodum enim in reliquo cultu divino ſe res habet, *Deus eſt Spiritus, ergo Spiritu colatur* oportet, ita & in cognitione divinorum, ſi res *Spirituales cognoſcere* velimus, neceſſe eſt utique ut *Spirituales* ſimus. quid? quod Apoſtolus in textu Scrupulum hic omnem de fundamento jam poſito eximit; Nam *Animalis* (inquit) *homo non poteſt ea quæ ſunt Spiritus cognoſcere*, cur ita? quia *Spiritualiter dijudicantur*: ubi ſupponit Apoſtolus judicium Spirituale à ſolis Spiritualibus proficiſci, iis enimſolis contingit Spiritualiter dijudicare, *animali* enim *homini* hoc negatur, at quid hoc aliud eſt, niſi *proportionem* & *improportionem* in causâ eſſe quod ille cognoſcat, hic vero cæcutiat?

At (inquies) *ratio* ipſa ex ſe quiddam Spirituale eſt, utpote à fæcibus materiæ (quas vocant) immunis, ideoque rationem inter & myſteria gratiæ reperitur illa quam tantopere deſideras *proportio Spiritualem* quidem fateor *rationem* ex ſe (ut aiunt) attamen (quod & omnes norunt) *naturalem* aio, ideoque improportionatam *Spiritualibus* quidem fateor *rationem* naturâ ſuâ, ſed non qualitate illâ à Spiritu Sancto affatâ, unde tollitur (uti poſtea videbitur) & non aliunde improportio iſthæc: ſi enim adnata illa *rationis* Spiritualitas congruè diſponeret ad ea quæ ſunt Spiritus dijudicanda, quo jure id privilegii ademit *Paulus homini Animali*, qui ratione non deſtituitur? quorſum illud ἀνὴρ ψυχικὸς, ſi quæ nativa potentia huc ſufficeret? inſtat vero Scotus (cui & ſuas plerumque argutias, etſi non agnoverint, debent *Sociniani*) & pro more ſuo ſatis ſubtiliter. Nam *ſi tanta* (inquit) *ſit inter nativum lumen & veritates ſupernaturales improportio, unde demum tolletur? numquid per gratiam ſuperadditam facultati, illamque objecto Spirituali attemperantem?* ita inquam; atqui vero *gratia* ipſa eſt æquè improportionata *facultati* ac *ratio veritati Spirituali*: ponamus hoc; ergo eadem improportio in cauſa erit quo minus & gratia ipſa recipiatur: Negatur ſequi; ratio eſt, quia recipi poteſt gratia in ratione formæ perficientis, etſi antecedenter ad receptionem gratiæ intelligi nequeat veritas Spiritualis in ratione objecti: at quod rem ipſam annon & umbram

rei recipiet? quod gratiam ipſam annon & verbum gratiæ? paucis rem totam habete, ſubordinantur iſta tria, *ratio, gratia, verbum gratiæ.* Ita ut *ratio* per *gratiam* veritatem Spiritualem ſoleat recipere, at non *ratio ratiocinans*: quemadmodum in caput lumen intromittitur, at non niſi per oculos; & paries ſuſcipit albedinem, aptus tamen non eſt ut immutetur à ſpecie albedinis. Sed à tricis illis Scholaſticis libens mihi tempero; interea tamen aſſevero, Contingat licet lumini nativo acutiſſimo (de humano loquor) circulos diſciplinarum extenſiſſimos, quibus per me integrum ſit, adjungatur virtutum quotquot Moralium chorus, nam & hæ ad cognitionem μεγάλων ἰχνηλατικὴν, ut Philoſophus; nunquam tamen hinc aut inde efficietur ut judicium Spirituale & quale in *homine animali* deſiderat Apoſtolus, conſequatur: quemadmodum enim quod *naſcitur ex carne caro eſt*, ita quicquid illa ſit quod à *natura oritur naturale eſt*. Adeo ut audacter pronuntiare temerarium non ſit, tum demùm *rationem* utcunque phaleratam, myſteriis gratiæ aſſecturã, ubi equus aut aſinus phaleratus procreaverit Elephantem. Duplex itaque ex modo dictis (ni fallor) emergens, pono conſectarium.

Primum eſt, *aſſenſus rationis quantumcunque à natura elevata eſt ordinis tantum naturalis*. Hoc ſi opus ſit fortiter tuebitur *Alphonſus Curiel* Scholaſticorum acutiſſimus.

Secundum, *judicium nativi luminis de rebus fidei eſt tantùm per ſpeciem alienam*. Quod ſecundum propugnatu difficile non eſſet, ni vobis id moleſtum fore perſentiſcerem. Atque hactenus de ſecundo argumento, quod tantarũ virium videtur Doctoribus Scholaſticis, ut ex hoc ipſo titulo aſſerere non verecundentur, Angelos ipſos per nativam intelligentiam, perſpicaciſſimi licet ſint, myſteria Evangelii, etiam poſtquam extrinſecùs revelata fuerint, non poſſe intelligere; in hunc enim ſenſum cum aliis maximi nominis in Scholis vir acerrimi ingenii *Franciſcus Albertinus*, quæſt. 13. Theologica ex primo principio complexo.

Succederent hic reliqua argumenta ducta à *diſcrimine triplicis luminis, naturæ, gratiæ, & gloriæ, à neceſſitate gratiæ, fidei, & illuſtrationis ſpecialis Spiritus Sancti*, unde aut inſufficientiam *rationis* (quam ſtatuo) evincerẽ, aut *τὸ ἐξ ἀναγκης* velint nolint cogerem, vel gratiæ ipſi cum Pelagio renunciare, aut uſu gratiæ eouſq; tollere, ut aſſit animæ tãtum ad decorem, quod aſſerere poſt *Scotum* non erubuit *Johannes Baſſo-*

lis

lis, vel denique prærogativam gratiæ eatenus delibatum ire, ut tantum ad facilitandam operationem animæ concedatur, quod validissime inter alios oppugnavit olim *Johannes Capreolus Thomistarum princeps*.

Explicatius autem ista proponere per tempus non datur, imo nec *nationem mentis cæcitatem, & caligines* illam plusquam *Cimmerias*, cujus toties meminit beatus *Paulus*, prout statui, patefacere; unum tamen etsi priorum instar non sit, (si id gratiæ mihi feceris) habet attexere, & tertiam tum demum Thesin dimittere, nempe quàm infirmo tibicine nitantur ii, qui ad experientiam, fallacem hic plane magistram, Christianos revocantes, inde vires *rationis* explorare satagunt, atque ita (inquiunt) tu quisquis es qui *in impotentia humanæ mentis* paratragœdias, qui sanam *rationem* Christianis invides, eamque hebetudinis & insufficientiæ insimulans; gratiam & fidem, & illustrationem nescio quam specialem crepas, age, experire, quantum hic qui intenderint ingenia valeant, quanta pandant tibi mysteria mulatum tantum & *rationis* alumni, quantâ subtilitate discutiant, quantâ accuratione explicent vel in intimo sacrario recondita arcana, dum tu qui *gratiâ & fide & Spiritu* (si Dii placet) repleris, aut obmutescis præ copiâ, aut plane *exinanis*; ita plane & paulò insolentius vociferantur nonnulli, sed quo jure, equidem plane nescio. Nam primò, gratiâ Dei imbutos ut minus loquaces facile crediderim, ita raro elingues, qui enim præstitit cordi gratiam nunquam non ubi opus sit præstabit linguæ eloquium. Martyres hic nostrates Marianos illos, honoris simul & exempli causâ placet vobis ob oculos ponere, & quinam obtestor inter legendum videntur vobis profundiores Theologi, satorsne illi (quoniam ista Campiano arridet nomenclatio) mox exurendi, an illi qui (ne quid acerbius dicam penum) jactitarent? Dein, experiris (ais) te multam mysteriorum abyssum non intrâsse modò, sed & salvum illinc enatasse solâ ratione & duce, & Helice, at qui id solâ ratione factum nosti? Christianus es qui ista blatteras, sacro haurero tinctus, verbo Dei (fors) sapius percussus, saltem illectus, quidni & gratiâ Dei perfusus? ergo quid obstat quò minùs à gratiâ Dei procedat judicium quod tu uni uni vindicas *rationi*? non es nescius quid Sanctus Paulus *gratiâ Dei sum quod sum*; & rursus, *non sumus idonei ex nobis ipsis quicquam bonè cogitare quasi ex nobis ipsis*; cave itaque ne latentis gratiæ opus tibimetipsi gloriabundus arroges, & contra gratiam & fidem gratiâ & fide abutaris, ut olim apud Augustinum nequam viri Evan-

gelium

gelium ex Evangelio oppugnarunt, hoc ſi ſerio ſecum in animo revolverent ingenioſi *naturæ* advocati, quicquid ab ipſis boni proficiſcitur, *gratiæ* quàm *naturæ* mallent aſcribere. Denique, mirum non eſt Chriſtianos de myſteriis fidei multa diſſerere, quibus inaures iſta jugiter inſonuerint, at quid unquam ſani Socrates aut Ariſtoteles aut illi è Græciâ *ethnici*, quibus *Evangelium* ab Apoſtolis ipſis prædicatum pro *ſtultitiâ* habitum eſt? ab his ſumite judicium quid recta ratio poſſit, vel potius à *Nicodemo*, Magiſtro in *Iſraele*, & regno cœlorum paulò viciniori quam aut Plato aut Ariſtides; Nam ſi Nicodemo, de populo Dei viro, nec ex multis unò, in uno aliquo, nec abditiſſimo myſterio inſigniter adeo caligarunt oculi, quale quæſo futurum eſt de ſimili aut majori myſterio judicium eorum, qui ſunt ipſâ cæcitate cæciores? ſi quem Chriſtus à cæcitate penè liberaverat hominem inſtar arborum ambulantes pronunciaverat, quale judicium putatis prolaturum ipſum Tireſiam?

At interim quæ reliqua ſunt obliviſcor, prodest ergo quarta & ultima theſis verbo expedienda; erat autem hujuſmodi. *Sola gratia (ſupplet hanc defectum & ſingulare naturæ.* Frequenter adeo, clarumque gratiæ ſuæ *nummos* impreſſit Deus ſcripturis, ut velint licet enixiſſimè, nullâ tamen hominum dæmonumve arte eximi inde queat ni priùs inductâ ſacro codici unâ perpetua liturâ, atque hinc factum arbitror quòd nomen gratiæ ejuſque aliquatem neceſſitatem omnes fere qui Chriſto uſpiam nomen dederunt, ultrò agnoverint, imò qui Eccleſiæ ſenſu hoſtes gratiæ vixerint infenſiſſimi, præſentibus Albino, Piniano, & Melania dixit Pelagius, [Anathema qui vel ſentit vel dicit gratiam Dei qua Chriſtus venit in mundum peccatores ſalvos facere, non ſolùm per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros, non eſſe neceſſariam, & qui hanc conantur auferre pœnas ſortiuntur æternas.] Honeſta planè oratio, & digna quæ orthodoxum habuiſſet autorem. ideoque qui ſuis hæc audit (inquit Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 2.) & ſenſum ejus ignorat, omninò eum putat ſentire quæ veritas habet. Imo vero minùs hoc præ ut illud eſt quod meminit idem Pater cap. 3. ubi damnantem introducit Pelagium eos, qui dixerint gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos tantum actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, aut in lege atque doctrina, ubi putabamus (inquit Sanctus Pater) omnes ejus de hac re tergiverſationes eſſe conſumptas: veruntamen re melius perpenſa

per

per caput quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum concludit doctiſſimus pater, idque auſim dicere ſine omni charitatis aut diſpendio aut periculo, aliud à Pelagio per gratiam non intelligi quam legem atque doctrinam qua naturalis poſſibilitas adjuvetur, imo, potentiam à Deo conceſſam & ſufficientiam qua poſſit quis, non velit agere; adeò ut quicquid ſit de ingenua confeſſione Pelagii, gratiæ tamen Chriſti haud aliter hinc conſuluiſſe videatur Pelagius, quã Judæi olim honori Chriſti, ubi clamarunt, *Ave rex Judæorum*, inſimul vero impegerunt ei alapas. Et certè ſolenne hoc de fide perperam ſentientibus, peſtilentiam dogmatum pietate verborum cohoneſtare, & viperam non tantum in eo referre quod per matris viſcera reptent in lucis hujus uſuram, ſed quod viperarum inſtar (nam & hoc moris eſſe viperæ à naturæ myſtis proditum eſt) ut toti cum ſcateant veneno, ita tamen intra gingivas dentes venenatos condant, ut os geſtare videantur edentulum planè & innocuum: quocirca prudenter monitum eſt à Gregorio Nazianzeno Orat. 49. *hæreticorum non verba ſed ſenſus attendendos.*

Verumenimverò dum ſubdolum hunc agendi modum quem in Pelagio notavit Auguſtinus, penitiùs introſpicio, næ, inquam, morem hunc Pelagii ſunt qui hodie perquàm meditatò tenent; affatim enim diſſimulatorum eſt ex hodiernis Pelagii reliquiis, qui dum gratiam Dei ejuſque neceſſitatem plenis buccis deprædicent, amotò tamen aliquoties ſiparío ut ſuis interim innoteſcant quales viri ſient; & quod Orthodoxam fidem (quicquid dixerint) nondum vacet ipſis amplecti, vel in poſſibilitate utriuſque partis à naturâ inſitâ, fœcundâ illâ (ut Pelagii verbis utar) & fructiferâ radice, aut in externâ revelatione Euangelii proram & puppim gratiæ divinæ haud obſcurè conſtituant. Hoccine vero eſt Pelagianiſmi notam eluere? Certè ſi hoc ſit *ſordes emaculare*, equidem plane neſcio quid ſit in eodem *cœno volutari:* rogandi itaque ſunt boni iſti viri ut bonâ fide, & apertè, prout probos decet, tandem aliquando agere diſcant, & ut pro libertate ſuâ ſentiunt quæ volunt, ita (modo fas ſit) quæ ſentiunt proferant, ſaltem ſi à Pelagio, ut præ ſe ferunt, abhorreant, & tamen norunt fratribus ſuis & patribus quiddam rectiùs, id aliis ne invideant: O ſi placeret ipſis, quod quanti certè emerem, unius gratiæ, quam venditant deſcriptionem publici juris facere. Interea temporis quod popoſcit olim Auguſtinus à Pelagio, etſi vafrum illum nunquam potuit eò adducere ut annueret, id ego à Novatoribus illis impetrare pervelim in causâ gra-

tiz, quam verbis aſtruunt, nempe, cum tanti *gratia* patroni haberi velint, ut iſtam aliquando fateantur nobis gratiam quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verumetiam creditur & ſperatur, nec ſolùm revelatur ſapientia, ſed etiam amatur; nec *ſuadetur* ſolum omne bonum, ſed etiam *perſuadetur*; hanc gratiam debent confiteri, velint ſit non tantum *vocari* ſed *eſſe* Chriſtiani, [Auguſtinus de gratia Chriſti c. 10.] Et hæc eſt (ſubſumo ego) illa, quam dixi, ſola gratia quæ in rebus fidei dijudicandis aufert ἀδυναμίαν naturæ: quod ut lucidius adhuc aliquantulum fiat, Hæc tria aſſero.

Primum, *Poſſibilitas naturæ, gratia non eſt.* contra Pelagium.

Secundum, *Externa revelatio Euangelii, per qualitatem aliquam in ſe hærentem, eam non præſtat intellectui ſufficientiam, ut inde dijudicentur res fidei.* contra Pelagium & Socinum.

Tertium, *Gratia illa ſola horſum ſufficit, quæ à libera Spiritus Sancti illuſtratione pendens intrinſecùs tum afficit, tum perficit intellectum.*

Utinam (Academici) rudiores hoſce ductus æque liceret expolire, ac oſtendere; agnoſceretis tandem ſanctum Paulum, *gratiâ Dei* tantum, in causâ gratiæ ἀγωνιστὴν; agnoſceretis Auguſtinum in eadem cauſa huic quantum athletam! agnoſceretis quidem in Pelagio ejuſque aſſeclis naturæ ἀνωμαλίαν, & vires non exiguas, ſed quales in phreneticis experimur, non ex *ſanum*, ſed morbo. At quantum hic temporis jure impendendum eſt: quocirca prægravat apud me illud Hiſtorici, præſtat de Carthagine nihil quam pauca; præſertim cùm & iſthoc ſilentio opportunè caveatur ne non tangenda tranſiliam vada: tranſeo itaque à quarta & ultima theſi ad corollaria, quæ ſuam tandem & vicem poſcunt.

Et primum Corollarium hoc eſto, *Salus Ethnicorum* aut *incerta* prorſus eſt, aut *nulla*.

Secundum, *Studium Ethnica Theologia non eſt Chriſtiano tanti faciendum.*

Tertium, *Judicium controverſiarum fidei non eſt committendum rationi.*

Quartum, *veritas Euangelica eſt cuivis veritati præferenda.*

Ultimum, *Solus is qui gratiâ imbuitur verè judicat de rebus fidei.*

Iſta profectò quam libentiſſimè ex principiis priùs jactis (quod factu facile eſſet) deducerem, ut inde veri nominis corollaria eſſe conſpiciantur, dein ad praxin, quò ſane præcipuè ſpectabam, accommodarem,

rem. Sed *tempori* cui omnia parent *parendum eſt*, & certè ut quod verum eſt fatear, non ſum mihi adeò ſuffenus ut ultra præſcriptum tempus quicquam à me profecturum ſperem, quo vos patienter carere non poſſitis. Unicum tamen colophonis vice articulum vobis ſerio perpendendum commendo; nempe, num *quo pacto fieri poſſit ut voluntas noſtra ante acceptam gratiam ferri poſſit in bonum Spirituale, cum intellectus niſi receptâ demum gratiâ* (ut fuſe probatum eſt) *illud nequeat apprehendere?* Nihil hic definio.

Ad te potius, miſericors Pater, à quo orſi fuimus, oculos noſtros, & corda convertimus, majeſtatemque tuam unis precibus Supplices veneramur, ut *gratiâ* tuâ corda noſtra perfundas, ut in doctrinâ ſalutari gratiæ tuæ perſtare nos porro facias, tandemque gratiam tuam miſericorditer hic indultam, olim in cælo gloriâ tuâ corones: quod faxit qui unus poteſt & vota noſtra prævenire & ſatiare. Cui trinuni Deo ſit omnis laus honor & gloria in Sæcula Sæculorum *Amen.*

FINIS.